

promissionibus. Semel autem responderi ad omnes sententias de lege potest, quod lex non possit fieri sine Christo, & si qua fiunt ciuilia opera, sine Christo, non placent Deo. Quare cum predicantur opera, necesse est addere, quod fides requiratur, quod propter fidem predicentur, quod sint fructus & testimonia fidei. Ambigua & periculosa causa multas & varias solutiones gignunt. Verum est enim illud veteris Poetae, ὁ δ' ἀδίκῳ λόγος, νοσῶν ἐν αὐτῷ φαρμάκων δέεται σοφῶν, Sed in bonis & firmis causis vna atque altera solutio sumpta ex fontibus corrigit omnia quae videntur offendere. Id fit & in hac nostra causa. Nam illa regula quam modo recitavi interpretatur omnia dicta quae de lege & operibus citantur.

Fatemur enim scripturam alibi legem, alibi Euangelium, seu gratuitam promissionem peccatorum propter Christum tradere. Verum aduersarij nostri simpliciter abolent gratuitam promissionem, cum negant, quod fides iustificet, cum docent, quod propter dilectionem & opera nostra accipiamus remissionem peccatorum, & reconciliationem. Si pendet ex conditione operum nostrorum remissio peccatorum, prorsus erit incerta. Erit igitur abolita promissio. Proinde nos reuocamus pias mentes ad considerandas promissiones, & de gratuita remissione peccatorum & reconciliatione quae fit per fidem in Christum docemus. Postea addimus & doctrinam legis. Et haec oportet ορθοτομῆν, ut ait Paulus. Videndum est quid legi, quid promissionibus scriptura tribuat. Sic enim laudat opera, ut non tollat gratuitam promissionem.

Sunt enim facienda opera, propter mandatum Dei, item ad exercendam fidem, item propter confessionem & gratiarum actionem. Propter has causas necessario debent bona opera fieri, quae quantum fiunt in carne nondum prorsus renouata, quae retardat motus spiritus sancti

sancti